

Q. F. E. Q. V. D. O. M.
DISPUTATIO PHYSICA,
^{Dc}
H O M I N E

Quæstiones nonnullas exhibens:

Quæ

*Ex consensu Amplissime Facult. Philosophi-
cæ in Regiâ Academiâ Aboënsi,*

**Loco ordinariæ publicè venti-
landa proponitur,**

P RÆS I D E

M. ANDREA THURONIO,

*Acad. h. t. R E C T O R E, Phys. &
Log. Prof. ordinario,*

R E S P O N D E N T E

R O B E R T O Kimmundt

Holmensi.

*Ad diem 6 Decembr. Anni 1662. In Au-
ditorio maximo, horis ab 8vâ
antemerid.*

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO A. T.

VIRI

Speciosissimi nec non prudentissimi,
Tutores ac fautores, parentum honore lo-
cogit jugiter observandi.

Dn: THOMA ANDREÆ,
inclytæ civitatis Holmensis civis ac ne-
gotiator eximie, fautor tutorq;
etatem colende.

UT ET

Dn: OLAE NYMAN,
celeberrimæ civitatis Cuprimontana ci-
vis primarie, ac mercator perindu-
strie, itidem Tutor; avuncule
honoratissime.

Quod vestris, tutores ac fautores
optimi, nominibus, specimen hoc
Academicum potissimum inscripscrim,
nemo non probaverit, qui defunctorum
olim parentum meorum vicem
vos nunc sustinere nôrit: quippe cum
ad huc vix satis poteram parentum no-
men per teneram etatem, venerari,
ut ergo mibi præmatur à morte abruptus
est: ac

est: ac nisi vos jam tum extitissetis, qui
mox memet probè educandum, in pri-
mis in literis instituendum curassetis:
qualis mea pupilli futura fuisset vel
tum vel nunc conditio? scilicet quod
præter annos nunc in penso numera-
rem, vix habiturus essem. Vestrâ au-
tem utriusq; conjunctim curâ, ne otio
tempus transmitterem, atq; jam tum
tenella, etiamnum tenera, ijs quibus
est obnoxia erroribus traduceretur; ve-
strâ inquam id utriusq; conjunctim est
faelum curâ. Nonne igitur mibi pa-
rentum estis honore locoq; honorandi,
qui parentum votum, ne dicam debi-
tum, tam sollicitè post illorum fata im-
plevisti, ut seposito naturali desiderio,
quo liberi in parentes etiam vitâ fun-
ctos feruntur, nil præterea desiderârim,
quod non vos aquæ ac parentes, si vi-
xissent, præstitissis: itaq; cum præter

debitum honorem & obsequium adhuc
vobis deferre quicquam nequeam, nefas
maximum esset, si quibus quam vobis
hoc qualecunq; exercitium Academicum
inscriptum irem. Excipite ergo Tuto-
res patres, hoc literarium munusculum,
testem atiq; animi mei, vestris meri-
tis vobis obligati; insimul vestri hac te-
nus erga me paterni favoris argumen-
tum. Excipite eo animo studiorum has
meorum primitias, quo mihi ad illas vo-
bis exhibendas hactenus contendenti,
paternâ ope affuistis, quamq; hactenus
mei gessistis curam, ut feliciter in stu-
dijs progredi potuerim, ne in posterum
deponatis impensè rogo, quò maturius
quam proposui metam vestro benefi-
cio attingam. Valete. Abo& scribeb.
die 22. Novemb. A. 1662.

ROBERTUS KINMUND,

I. N. J.

Quæstiones aliquot Physicæ

De

H O M I N E.

Præloquium..

Nobis, loco disputationis ordinariæ, aliquid è scientiâ Naturali deprompturis, non ex longinquo videtur in præsens arcessenda Materia. Eam enim Anthropologia, primaria Physicæ pars, quam paucis abhinc diebus publicè legendò tractavimus, ostendit jucundissimam pariter atque nobilissimam, & Hominis consideratione dignissimam, ipsum nempè HOMINEM. Quem præter nihil in terris magnum agnoscit Favorinus; qui Plinio *Mundi Epitome*; Platonis admirabilium admirabile; Aristoteli ratione & consilio plenum animal; Ægyptiorum sapientibus Deus Mortalis; Mercurio Trismegisto animal divinitatis plenum, Deorum nuncius; Dominus rerum inferiorum, a-

nicus & familiaris superiorum; Zo-
roastro Naturæ decus; Synesio corpo-
reorum & incorporeorum horizon;
aliis naturæ heros & Mundi dominus,
mundus parvus, mundus magnus,
mundi Epitome & delitiæ, Dei imago,
Deus terrenus &c. salutatur. Ut vel
ex appellationibus istis constare possit,
quanti semper habita fuerit Philo-
sophia, in contemplatione magni hujus
Naturæ Miraculi occupata. De quo
cum sufficienter & accuratè, pro rei
dignitate, differere humani vix sit inge-
nii, nec mediocris saltē disquisitio
nis if longo tempore integrisq; volumi-
nibus institui possit; nobis nonnullas
duntaxat moveat quæstiones, easque
pro re natâ breviter explicare, hâc vi-
ce satis fuerit, modò, quod precamur,
Dominus qui finxit hominem de pul-
vere terræ, sufflavitq; in nares ipsius
halitum vitæ, suam largiatur gratiam
& secundet institutum. Sit itaque

Quæ-

Quæstio I.

An homo sit μικρόνος μόνος?

Resp. Parvum vocari Mundum Hominem modò diximus, an verò talis reverâ sit, jam quæritur. *Homo*, inquit Crollius, totius mundi partes habet, & nihil est in majori mundo, quod in ipso homine realiter non reperiatur. Eandem tuetur sententiam Veigelius, *Hominem*, quoad mortalem sui partem, ex omnibus creaturis esse compositum, totumq; Mundum in eo contractum & coaceratum asseverans. Sed hæc vera si essent, jam homo compages esset ex coelo, terrâ omnibusq; corporibus naturalibus coagmentata. Reperires in eo Solem, Lunam aliosq; Planetas cum stellis fixis: & horrendum haberes monstrum, ex lapidibus, metallis alijsque mineralibus, herbis & arboribus, imò omnibus animalium brutorum speciebus conflatum. Absit ista de re tam nobili deliratio. Nos μικρόνος μονος esse Hominem af-

firmamus, non propriè & per realem omnium corporum naturalium continentiam; sed Symbolicè & per analogiam Mundi magni representationem, omniumq; graduum Entis comprehensionem. Nec parum est, quod intellectus humanus circa omnia versatur Eotia, totusque Mundus cum omoibus suis partibus hominis inservit usui. Hinc illa macrocosmi & microcosmi analogia, Hermeticis totius Philosophiae & Medicinae fundamentum.

Quæst: II.

An hæc definitio: Homo est animal rationale, sit bona & accurata?

Aff. Quia Naturam Hominis perfectè, raro sane exemplo, declarat, constans genere legitimo, propriaque differentiâ. Illud *animal* est, quippe Hominis *essentialis latius & quidem proximum*. Hæc voce *rationalis* exprimitur, ab ipsâ hominis formâ specificâ, animâ

animâ rationali desumpta. Felices esse-
mus, nec tot audirentur querelæ, nos
in rerum naturis cognoscendis circa
corticem versari, nucleus non in-
venire posse, tam exquisitæ si pate-
rent omnium Mundi corporum defi-
nitiones. Fuere quidem alii, Homi-
nem aliter describentes, quod nimi-
rūm sit *animal rationale mortale*: item
animal rationis particeps bipes. Et vul-
go dicunt Platonem, iogenii doctri-
naeque principem, finiisse *Hominem a-*
nimal bipes implume; audientem vero
id Diogenem, gallinam quandam de-
plumatam in Scholam Platonis proje-
cisse, additâ illusione, En *Hominem*
Platonicum! eaque motum Platonem,
datam a se definitionem hoc pacto
correxisse: *Homo est animal Naturâ im-*
plume. Sed quicquid sit de hisce, sin-
gularem in definitionibus formandis
adhibendam esse diligentiam, utque
necessaria haud omittenda: ita super-
flua non ingerenda, nec accidentalia
cum essentialibus confundenda memi-
nerimus.

QUEST. III.

Quæ Hominis origo?

Resp. Non frustrà Poëtarum immortabimur fabulis, quibus homines vel ex molli Promethei luto formati, vel duris magnæ Matris ossibus, id est lapidibus, à Deucalione & Pyrrhâ post terga projectis nati perhibentur. Gentiles si consulamus Philosophos, non minora de primâ gentis nostræ origine habebimus deliria. Peripatetici mundi propugnantes æternitatem, semper humanum fuisse genus crediderunt; quam opinionem foverrunt quoque Pythagoras, Archytas, Xenocrates, Dicæarchus &c. Epicurus docuit limo calefacto, uteros quosdam radicibus terræ cohærentes, primitus infantes edidisse, ijsq; ingenitum laetis humorē nutrimenti loco naturam ministrasse, donec ita educati & jam adulti genus humanum propagare inciperent. His similia, nec digna quæ referantur, aliorum sunt Ethnieorum absurdâ, utpote Anaximandri Milesij,

Democriti Abderitæ, Empedoclis & Aliorum. Quid Sinensium (qui nunc reliquis habentur ingeniosiores) Sapientes de Mundi, rerumq; omnium origine & primo homine quem Puonchuum nominant, sentiant, exponit Martinius lib. i. Histor. Sinicæ his verbis : *Eum (mundum) dicunt, inquit, è chao tanquam ex ovo natum, hujus testam seu corticem in cœlum, album in aërem, vitellum in terram abiisse idquæ mediâ nocte sub illud tempore, quo astra per cœlum penetrantia Solstitialibet malig; revocatione vertuntur.* Primo tandem loco cœlos perfectos ; stabilitam deinde terram ; tum spiritus ; postremò homines extitisse &c. Alij tamen Puonchuuns ajunt è deserto quodam prodijse, natalium ignorationem ultrò fassi. Hæc ille. Vileant ista vanarum gentium figura! Nos duplicem Hominis agnoscimus originem : unam Extraordinariam, ordinariam alteram. Illam nos docet saecer Physicus, nataliumq; hujus Mundi fidissimus scriptor Moses ; hanc ipsa

ipsa monstrat experientia. Extraordi-
naria itaque Hominis origo per Creatio-
nem est, quâ Deus ipse immediatè pri-
mos homines, Adamum & Evam con-
didit. (PræAdamitæ figmenta sunt os-
tiosi cerebri, eorumq; assertor & de-
fensor, homo nequam & impius sedu-
ctor) Ubi diversum productionis utri-
usq; modum attendere, nec injucun-
dum ducimus nec inutile. Adami
creatio his describitur verbis Gen. 2.
v. 7. Finxit verò Iehova Deus homi-
nem de pulvere terræ, sufflavitq; in nares
ipsius halitum vitae: sic factus est homo
anima vivens. Distincta nimirum
distinctarum habetur partium origo.
Corpus humanum, elegantissimum
animæ rationalis domicilium, tot par-
tibus, admirabili ordine, distantiâ &
proportione conspicuum ex glebâ ter-
ræ fecit omnipotenti manu creator
sapientissimus; animam verò rem il-
lam generosam, & corporeæ molis
expertem inspirando creavit. De
productione Evæ sic legitur eod. cap.

v. 21. Quapropter injectit Iehova Deus soporem altum in Adamum, quo obdormivit: & desumptâ unâ de costis, inclusit eam rem pro illâ. Exstruxitque Iehova Deus ex costâ illâ, quam sumserat de Adamo, mulierem: eamque adduxit ad Adamum. Non hic alia corporis, alia animæ origo exprimitur; sed ex costâ de Adamo sumptâ, quæ non mortua, sed viva; non inanima sed animata fuit, dicitur exstructa mulier. Unde Sperling. procœm. Antropol. cap. 2. q. 3. Atque hinc, inquit, etiam de ortu aliarum animarum judicant eruditorum non pauci. Ut enim Evæ anima ex vivo & animato Adamo traducta est: ita & filiorum animæ è vivis & animatis parentibus traducuntur. Et paucis interiectis. Hoc tantum differiminis datur, quod costa ibi fuerit adhibita, hic semen: quod Deus ibi egerit, hic Deus & Natura; quod mas ibi solus adfuerit, hic mas & fæmina. Ordinaria hominum Origo generationi naturali adscribenda est. Hanc enim Deus ipse post creationem instituit dicens:

Fætifi.

Fatificate & augescite, & impletè terram
eamq; subjicite. Cujus benedictionis
divinæ vi, adhuc homo hominem;
non quoad corpus solum, sed &
quoad animam generat. Et per ad-
mirandum hoc generationis opus ho-
mo in homine vivit, sicut brutum in
bruto, planta in planta, speciesque,
aliás morientibus semper individuis
ad interitum vergens, à totali illâ cla-
de casuque miserabili vindicatur. Sed
de hâc quæstione, satis pro ratione
instituti. Lubet tamen coronidis lo-
eo subjungere verba Heidfeldij à Sper-
ling. loco modò allegato citata. Qua-
tuor, inquit ille, modis Deus hominem
producit, ut docet Anshelmus. 1. Facit ho-
minem sine viro & fæminâ, ut Adamum.
2. Producit hominem ex homine sine fæ-
minâ, ut Evam. 3. Ex viro & fæminâ, idq;
juxta communem natura cursum. 4. De fæ-
mina sine viro, quomodo Christus natus est.

Quæst. IV.

An hominis temperamentum sit præ-
stantissimum &

Resp.

Resp. Temperamentum nunc qualitatem significat ē solis elementorum qualitatibus exortam ; nunc prout præter illas, calidum quoque innatum cum influente complectitur. Utrovis seminatur modo, non dubitamus temperamentum hominis præstantissimum pronunciare. Nam qualitatem Elementarium harmoniam atq; temperiem in homine maximam esse sensus probant. Tactu enim, inquit Sperlingius, percipimus, humiditatem cum siccitate, & caliditatem cum frigiditate in eleganti conspirare συμμετρία. Cutim nostram cum tangimus, polita est, aequalis est, maximè temperata est. Animalibus ceteris aut frigidior existit, aut calidior, aut siccior, aut humidior. Aliis testacea est, aliis pilosa, aliis villosa, aliis squamosa. Experientiss. Sennert. Instit. Med. lib. i. cap. 4. Verum enim. vero, inquit, et si inter reliqua animalia proculdubio est temperantissimus (Homo) & si non planè mediam, saltē mediæ maximè vicinam habet temperaturam; adeo ut non

et non solum reliqua animalia ad eum collata dicantur calidiora, frigidiora, humidiora, sicciora; sed & medici ad eum, tanquam rem temperatam, factâ compensatione medicamentorum temperiem aestimant, atque alia temperata, alia intemperata dicant, calida scilicet, si hominem alleviant; frigida si refrigerent &c. Et Instit. lib. 5. part. 1. Sect. 1. cap. 3. Ad hominem ergo, ait, collata, quædam medicamenta dicuntur temperata, quædam intemperata. Temperata dicuntur eas, quæ nullam in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, in homine pariunt mutationem &c. Calidum innatum & influens quod concernit, id sine dubio homini præstantius, quam cæteris viventibus, competit. Sicut enim proportio inter materiam & formam requiritur: ita hominis anima quæ nobilissima est, nobilissimum subjectum præstantissimo calido innato ac influente præditum postulat. Rectè Aristoteles: 2. de gener. anim. c. 3. Ut, inquit, nobilitate ignobilitateve animæ

animæ inter se differunt: ita & Natura
eius corporis differt. Haud equidem
inficiamur, hominem à brutis qui-
busdam sensu & nonnullis aliis opera-
tionibus superari, juxta tritum:

Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu;
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.
Sed hæc operationum diversitas, cum
non à temperamento, sed ab orga-
norum dispositione proveniat, ho-
rum quoque, non illius indicat præ-
stantiam. Ut taceamus, quod Ari-
stoteles lib. i. de hist. anim. cap. 15: &
lib. 2. de anim. cap. 9. t. 94. doceat
hominem tactu & gustu omnibus a-
nimantibus præcellere. Et sic adhuc
manet, hominem temperamentum
habere præstantissimum.

Quæst. V.

*An duæ sint partes Hominis essen-
tiales, anima rationalis & cor-
pus Humanum?*

Aff. A communi namque cum ve-
terum, tum recentiorum Philosopho-

rum sententiâ, & Sactis Oraculis &
Naturæ libro conformi recedere non
sustinemus. Scriptura certè Homi-
nis creationem describens, expres-
sam duarum istarum partium facit
mentionem, originem urriusq; di-
stinctè exponens, ut ad quæstionem
tertiam vidimus. Eadem de morte
Hominis loquens, reverti pulverem
in terram, quemadmodum fuerat, &
spiritum redire ad Deum, qui dedit il-
lum, testatur. Natura quoque nul-
lam nobis partem Hominis essentiam
constituentem, præter animam ratio-
nalem ceu formam, & corpus huma-
num tanquam materiam ostendit. A-
liud tamen sentit cum nonnullis aliis
Comenius Phys. reform. cap. II. compo-
ni hominem è tribus asseverans, cor-
pore nimirum, Spiritu & animâ. Corpus
inquit, est organon & habitaculum spi-
ritus: Spiritus verò habitaculum & organon
anima. Ut enim spiritus in corpore habi-
tet, illudque velut Nauclerus navem gu-
bernat: ita habitat anima in spiritu, eum-

que re-

que regit. Et quemadmodum corpus sine
spiritu nec semovet, nec sentit quicquam,
(ut in cadavere mortuo videre est) ita
spiritus sine mente nihil ratiocinatur, ni-
hil intelligit; ut in brutis videntur. Ani-
ma igitur pro vehiculo & instrumento u-
titur spiritu; spiritus corpore; corpus in-
strumentis assumptus &c. Sed male hic
Entia praeter necessitatem multiplican-
tur: male spiritus a corpore, cu-
jus sunt partes tenuissimæ & subtilissi-
mæ, se junguntur, tertiamque homi-
nis partem constituere dicuntur. Por-
rò Plato de Homine longè aliter dis-
serit, dum eum nihil esse aliud quam
animam, corpus vero non hominem,
sed hominis aliquid affirmat. Sice
nun in Alcibiade primo, sive de na-
tura hominis argumentatur. Nece-
sse est aliud sit id quod utitur, & aliud
quod imperat, & cui imperatur; ut aliud
est cerdo qui incisorio utitur, & aliud
incisorium quo utitur: aliud quoque Do-
minus, aliud servus. Ut vero cerdo &
incisorio dicitur incidere & manibus: ut

manus autem, ita & pes, & oculus, atque
corpus totum est res quam homo utitur: ho-
mo igitur, & est aliud a corpore, siquidem
corpore utitur, & est res illa quae corpore
utitur: at vero anima utitur corpore, ho-
mo igitur ipsa anima est. Nam homo est
anima, aut corpus, aut ambo simul. Cor-
pus non est, quia corpore utitur, homo ve-
ro est qui utitur: sed neque ambo, quia si
duorum alterum non utitur, neque ambo
utuntur: superest ut homo anima sit. Sed
ad hæc reponimus. 1. Non esse ab-
surdum idem sibi ipsi imperare, seis-
pso uti & in seipsum agere. Ignis
cum ascendit, lapis cum descendit,
annon & movent & moventur? 2.
Distinguendum inter principium quo
& principium quod. Animam ut
principium quo uti corpore, indeq; re-
quæ inferri illius ab hæc distinctionem,
hominem vero ut principium quod.
Nam actiones sunt suppositorum. Ita-
que 3. Id quod corpore utitur, aliud
esse a corpore vel tanquam partem u-
nam essentialem ab alterâ, vel tan-
quam

quam totum à parte. 4. Non sufficienter probari hominem non esse ambo (animam & corpus in unione) dum dicitur, si duorum alterum non utitur, neque ambo uti. Quod enim de anima & corpore seorsim consideratis dici nequit, de iisdem legitimè unitis verum esse potest.

QUEST: VI.

An in homine præter animam rationalem dentur quoque sentitiva & vegetativa?

Resp. Affirmativam è recentioribus defendere satagit *Albertus Kyperus Inst. Phys. lib. 10. cap. 1.* Coutra quem nos argumentamur 1. Ubi tres sunt distinctæ animæ, ibi tria sunt corpora viva & animata. At in homine non sunt tria corpora viva & animata, nisi fortè monstrum sit & tergeminus Geryon ut inquit Scaliger. E. 2. Unius animati una est anima, homo est unum animatum. E. hominis una est anima. 3. Si in homine tres

essent animæ, triplici esset mortis obnoxius. Nam sic primò decedente animâ rationali moreretur homo, relictâ adhuc sensitivâ, quæ brutum constitueret. Intereunte sensitivâ, superstes esset vegetativa, quæ plantam daret. Annihilatâ demum vegetativâ, vera cadaveris staret ratio. Quæ omnia absurdâ, verboque Dei, rationi & experientiæ sunt adversa. Coimbricenses lib. 1. de gen. § corr. cap. 4. q. 21. censem in homine, non quidem nato, tres esse distinctas animas; ante nativitatem tamen adesse primò vegetativam, eamque aboleri accessu anima sensitiva, hanc autem ingressu anima rationalis exsingvi. Sed ita si esset triplicem haberet homo essentiam, adeoque esset primò planta, deinde brutum, tandem homo: bis etiam moreretur, pereuntibus nimirum animabus vegetativâ & sensitivâ, antequam nasceretur. Quæ similiter absurda, nec digna quæ audiuntur. Nos itaque dicimus esse in homine animas vegetativam & sensiti-

sitivam, verum ab anima rationali non re, sed conceptu saltem distinctas. Una enim & eadem anima rationalis, quatenus homini datur esse, forma; quatenus vivere, anima; quatenus vegetare, anima vegetativa; quatenus sentire, anima sensitiva; quatenus intelligere, anima rationalis appellatur. Non itaque animae illae in homine ut res & res differunt; sed una res est, diversa formalitas. Una anima rationalis, quae potest omne id, quod possunt formae inferiores.

QUEST. VII.

Quid sentiendum de eo, qui mulieres negavit esse homines?

Resp. Nullum dogmatum absurdum aut impium excogitari potuisse, quod non aliquos invenerit propugnatores, praesens docebit questio. Aristoteles lib. 4. de gen. anim. cap. 3. primum degenerandi principium in generationibus dixit, feminam generari: hoc tamen esse naturae necessarium. Somniavit enim

Naturam, Maris, utpote perfectionis formationem semper intendere, a præstituto autem scopo aberrantem, fœminam ceu marem imperfectum producere. Unde interpres nonnulli fœminam *animal mutilum*, occasionatum & accessorium vocitare non verentur. Sed nimis abjectè, falsâ vel male applicata adducti hypothesi, de sexu loquuntur fœmineo, qui profectò non minus necessarius quam masculinus, nec magis quam hic, mutilus, occasionatus aut accessorius est. Natura perfectissimum intendit, ut in unaquacq; specie, sic in utroque sexu: in masculino perfectissimum marem, in fœminino perfectissimam fœminam. Et sicut in generatione Johannis aut Caroli, marem non fœminam: ita in formatione Elizabethæ aut Christinæ, fœminam non marem producere annititur. Non fuit autem satis, honestissimum sexum muliebrem, talibus male Philosophantium scommatis infamari; longius ista calumniis inhotent.

centes proscintendi licentia progressa
est. Namque Anno 1595 anonymous
quidam, Catholici tamen titulo su-
perbus, tractatum edidit, in quo Mu-
lieres homines esse palam negavit.
Qui quidem homuncio convitia illa
sua scriptans, inque lucem publi-
cam mittens, si serio rem tractavit,
ex sententiâ, quam initio disputatio-
nis proposuit, dignus fuit, qui cum
thesibus ipse suis arderet; Sin animi
tantum gratiâ scripsit, male horas me-
lioribus destinatas exercitiis colloca-
vit, honestamque decentibus se jocis
recreandi libertatem, in turpissimam
publicâque animadversione dignam
petulantiam, ne dicam furorem, con-
vertit. Blasphemiam dixit adversus
Creatorem, cuius nobilissimam crea-
turam dehonestavit. Injuriam intu-
lit Naturæ, cuius sobolem pulcherri-
mam, omnibusq; humanis dotibus e-
gregiè ornatam, tantis contumeliis
conspuit. Iniquius egit cum toto se-
xu fœmineo, cuius existimationi la-

becculam quandam aspersit. Erga ma-
trem verò suam, à quâ spiritum & vi-
tam, cum innumeris accepit benefi-
ciis, impium se præbuit, impudentem
& ingratissimum. Blandiri tamen
ipse sibi potuit, dum disputationem
hunc in modum clausit, inquiens: Sa-
ris gloria & ex hoc tractatu habeo, quod
in posterum, more aliorum, hereticus sim
futurus, si non bona fama, tamen magna.
Egregium solatium !

QUEST: VIII.

An Angeli sint Homines?

Resp. Grederet sinceroris sapientiae
cultor, non usque adeò depravata es-
se mortalium ingenia, ut hanc quoq;
quæstionem quisquam, eruditorum
præsertim, affirmare audeat. Sed
sunt homines, quibus Philosophia su-
am non videtur assecuta perfectio-
nem, nisi semper aliquid addatur no-
vi, nisi illa quoque quæ ineptissimè
omnium dici possunt, patronos inve-
niant. Ut de Platone, Academicis,

Patri-

Patribusque quibusdam antiquissimis,
Angelis corpora tribuentibus, hâc vi-
ee nihil dicam, Comenius cap. 12.
Phys. reform. talem format defini-
tionem Angeli. *Angelus est homo in-*
corporeus. Ubi genus est *Homo*, quod
ita porro explicat. *Homo*, inquit, dici
potest *Angelus*, eo sensu, quo *Homo ipse*
animal, *Animal Plantæ*, *Planta concretum*
&c. dicitur (ut in definitionibus posuimus)
id est, propter inclusam præcedentis for-
mam, novâ solùm supperadditâ perfectio-
ne. *&c.* Optima ratio! *Angelus* eo
sensu dicitur *homo*, quo *homo ipse*
animal, &c. E. *Angelus* etiam redē
dicetur *animal*, *corpus vivum*, *cor-*
pus mixtum, *corpus naturale con-*
stans materiâ & formâ, sicque non
erit *incorporeus* aut *spiritus*. Appa-
ret descriptionem istam non Rheto-
ricam quidem esse vel Poëticam, ne-
dum Philosophicam.

QUEST: IX.

Quid de mirâ quorundam homi-
natis

*num longævitatem, deque longitu-
dine vitæ humanae in communi-
sentiendum?*

Resp. Quanta facierum in homini-
bus est diversitas, ut è tot millibus vix
duos facie prorsus similes reperire li-
ceat: tanta ferè in vitæ spatijs varie-
tas occurrit. Vetus verbum est o-
mnibus dictum (si binos exceperis,
quos vivos in cœlum translatos, sa-
cra testatur historia) Homo morie-
ris; alii tamen citius, alii seriùs na-
turæ solvunt debitum. Unde vita u-
ni brevior, alteri longior. Homines
antediluvianos diutissimè vixisse cer-
tum est, adeoque nonnullos eorum
700, 800 imò 900 annos vivendo ex-
cessisse sacræ testantur literæ. Profa-
ni quoque Scriptores non paucorum
injiciunt mentionem, qui ætatem ad
annos longissimos extenderant. *Pli-*
nias Hist. nat. lib. 7. cap. 48. *Anacreon,*
inquit, Poëta Arganthonio Tartessiorum
regi centum quinquaginta tribuit annos

Cyni-

Cynira Cypriorum decem annos amplius,
Ægimio ducentes. Theopompus Epime-
nidi Gnossio centum quinquaginta septem.
Hellanicus quosdam in Ætolia Epiorum
gentis ducentos explere. Cui adstipula-
tur Damastes, memorans Pictoreum ex ijs
præcipuum corpore viribusque, & trecen-
tos vixisse. Ephorus Arcadum reges tre-
centis annis. Alexander Cornelius,
Dandonem quendam in Illyrico quingentis
vixisse. Xenophon in Periplo, maritimo-
rum regem sexcentis, filium ejus Octin-
gentis &c. Et cap. 49. In regione inquit
Italiae octavâ, centenum annorum censi
sunt homines 54. Centenum denuo ho-
mines 14. Centenum vicenum quinum
homines duo, centenum tricenum homines
quatuor, centenum tricenum quinum aut
septenum totidem, centenum quadrage-
num homines quatuor. Plura exempla
habet passim idem Plinius cum aliis
authoribus antiquis. Olaus Magnus
lib. 4. Hist. e. 4. de septentrionalibus loquens;
Ætas, inquit, Hominum ibidem in natio-
nibus frigidis eò pervenit, ut centum sepa-
ginta

qinta & amplius annos vivant; etiam in
Anglia & Scotia, ubi quidam Venerandus
Episcopus David vixit ultra centum se-
ptuaginta annos. Idem de Islandensi-
bus lib. 12. cap. 4. Hi autem, ait, Is-
landenses sunt, jucundi & liberales sunt;
diu sine Medicina, etiam supra centum an-
nos vivunt. Salmasius de annis cli-
mact. Quinimò, inquit, exemplum ha-
bemus hoc seculo Angli cuiusdam, qui us-
que ad centesimum & quinquagesimum
annum vixerit, ostensusq; est Iacobo Bri-
tannie Magnæ Regi, & pictura ejus ære
incisa monstratur. Quibus omnibus
addimus horum temporum experie-
ciam, quæ multorum hominum æta-
tem ultra centum processisse annos
comprobat. Brevitatis vitæ huma-
næ exempla nulla adducimus, ea
namque oculis quotidiè obversatur
omnium. Causas verò, quæ à natu-
râ quidem peti possunt, propter quas
sic vita, hominum uni longissima, al-
teri mediocriter longa; huic brevis,
illi brevissima contingat, breviter per-
stringe-

stringemus. Et quidem, homines, qui ante diluvium pluribus cursum vitæ seculis tenuerunt, quod concernit; nulli dubitamus iis, præter adjuvantem Naturam, singulari ordinatione & dispensatione divinâ, cum ad propagandam speciem, tum propter alios fines, tot ad vivendum annos concessos fuisse. Naturalium autem causarum, quas ad producendam vel contrahendam vitam non parum facere judicamus, potissimæ sunt sequentes.

1. Soli Natura, cœli inclinatio & aëris constitutio. 2. Seminis qualitas. Quemadmodum enim bonum semen in bonam terram conjectum, non potest malam gignere arborem, ita virile semen viri ætate firmati, robusti & sani, effusum eâ copiâ, quâ oportet, exceptum utero foeminæ maturæ, robustæ & sanæ, sobolem dat similem & præterea vivacem. Hinc per longam successionem, patrum vitam filios æquare tradunt scriptores bonæ fidei. Homines literati studiisque suis

suis immersi, ineptos plerumque sibi
que dissimiles gignunt, quia distra-
ctis Spiritibus & cogitatione aliò in-
tentâ, generationis operi ut plu-
rimùm incumbunt. Inde Herorum
(quantum ad rationem Physicam)
filii noxæ. 3. Calidi innati & humi-
di radicalis harmonia & proportio.
4. Temperamenti constitutio. 5. Vi-
ctus ratio in quantitate & qualitate.
Vitam enim ad longiorem perdu-
cunt terminum, qui tenui vietū uturos
tur, quam qui lautiū epulantur, vi-
noque largius indulgent. 6. Excre-
mentorum emissio & retentio. 7. O-
dores, quibus vel reficiuntur & in-
staurantur, vel minuuntur & debili-
tantur spiritus vitales & animales. 8.
Medicamentorum usurpatio vel ne-
glectus. 9. Abstinētia à Venere, vel
illius usus. 10. Motus, quies, som-
nus; vigiliæ, labores &c. Desidiosa
namque vita & in otio traducta per-
sæpe brevior est, quam exercitiis a-
gitata. 11. Perturbationes animi sive
affectus.

effectus. 12. Professio seu vitæ genus;
ex eo enim interdum etiam minus
longævi aut magis existunt homines.
Nam & quædam professiones casibus
sunt obnoxiae vitam citò finientibus,
ut militum, nautarum &c. Sunt aliæ
causæ longæ aut brevis vitæ Theolo-
gicæ, quas recensere nostræ non est
professionis.

QUEST: X.

*E quibus fluunt causis monstræ quo-
rundam hominum imaginations,
absurdæq; cogitationes?*

Resp. Innumera occurunt circa ho-
minem admiratione dignissima, Inter
quæ non postremo habendum loco,
quod intellectus humanus, quem ille
rerum omnium dominum appellat,
per impressiones à corpore acceptas,
ita quandoque decipitur, tam demen-
ter ac furiosè agit, ut parùm huma-
ni in homine putas residuum. Pro
dispositione enim, inquit experientiss. Sen-
nert. Med. Pract. lib. 2. cap. 8. humorum

varia, vitæ, conditionis, ac cogitationis
varietate, innumera hic varietas occurrit.
Nam quidam risum interdum admiscent;
quidam cum ira aliquâ & contentione
phreneticis adsimilantur: quidam nescio
quæ scelera se commisisse imaginantur, at-
que hinc supplicij metu, & mortis terrore
vexantur; alij se ad inferos damnatos, i-
mò gehennæ flammis cremari conquerun-
tur; nonnulli se mori, vel etiam mor-
tuos putant; nonnulli cœlum ruiturum
metuunt; quidam serpentes vel ranas in
ventre se gestare persuasum habent; non-
nulli se in bruta animalia conversos cre-
dunt; alij in testam aut vitrum mulatos:
nonnulli lacrumentur; quidam despera-
bundi mortem sibi inferunt; quidam di-
vina affectant, & colloquia cum Deo &
angelis somniant; alij avari nihil nisi de
divitiis cogitant; quidam quasi divites,
et si tales non sint, de magnis opibus glo-
riantur; quidam elati & superbi, vel de
pretiosis vestibus, auro & gemmis cogitant
ac loquuntur, vel se principes aut Reges
esse opinantur; alij contrâ animo abjecti,

liceat

licet divitiis abundant, de paupertate con-
queruntur; alii de studio, quo sunt dele-
ctati, perpetuò cogitant ac loquuntur.
Exempla talium inveniuntur passim
apud scriptores. *Levinus Lemnius lib.*
2. de complex. cap. 6. de viro quo-
dam illustri refert, qui valde constan-
ter omnia alimenta respuit, quod se
mortuum esse causaretur, ad septi-
mum usque diem, qui ipsi lethalis
absque dubio fuisset, nisi singulari
stratagemate ad reficendum corpus
adactus fuisset: adductis nimirum in
conclave arte obscuratum, personatis
quibusdam histrionibus, lanteo obve-
latis, ac fasciis, instar sepulorum ho-
minum obvinctis, qui instructâ men-
sâ ferculorum apparatu sese libera-
lius reficerent: Æger hoc conspica-
tus, sciscitatur quid moliantur? re-
spondent mortuos esse se: tum is
mortuiae edunt? illi, maximè: accum-
bat, experiatur jubent: confessim-
mente captus è lecto profliens, unà
cum mortuis commentitijs cibo ve-

scitur & convalescit. Idem ibidem
fuisse quendam narrat, qui nāsum si-
bi in immensum ex crevissē cogitabat,
elephantinæ proboscidis instar, à quo,
ne quis eum propriūs accedens lāde-
ret, quemvis vociferando abigebat,
semperq; se nālo patinis innatare pu-
tabat, mensæ accumbens. Alius, co-
dem testē, fuerat, qui clunes ex vi-
tro sibi conflatos, esse opinatus, ne
eos sedendo confringeret, omnia stan-
do peragebat. *Sennertus Instit. Medic.*
lib. 2. part 3. f. 1. cap. 7. ex aliis Authori-
bis exempla sequentia recenset. Mulier
quædam cā imaginatione vexabatur,
ut medium manus suæ digitum con-
stringeret, tanquam in ipso totum ge-
stare orbem. Quæ plorabat quoq;
& verebatur, ne quando digitum in-
flesteret, totus orbis corrueret, & o-
mnia statim interirent. Medicus, quen-
dam, qui sibi caput amputatum esse
putabat, curavit, imposito repente ca-
piti ipsius plumbeo pileo, ut gravitatem
sentiens caput se recepisse putarit, ga-
visusq;

visusq; sit plurimum, atque ideo vanâ
imaginatione liberatus. Sic & alius,
qui se cornua gestare putabat, capiti
cervinis cornibus alligatis, ferrâq; re-
flectis & ostensis, insanâ liberatus est.
Ut & ille, qui se in capite passeret ha-
bere dicebat, Medico per nates eos se
extrahere simulante, & agrotanti,
quem in manica absconderat, passer-
culum monstrante sanatus fuit. Ferra-
riensis quidam pistor, se ex butyro
compactum affirmabat, nulloq; pacto
igni vel clibano appropinquare volen-
tibus corporis colliquationem metuens.
Senensis quidam nullo modo persua-
deri poterat, ut urinam redderet. A-
jebat enim, si mingeret, totam urbem
diluvio peritaram: quem ad lotium
excernendum eleganti commento
perduxerunt. Nam pulsantibus cam-
panis ad insanientem accourtunt, ma-
gno incendio urbem conflagrare nun-
ciantes, obnixeque rogantes, ut, red-
ditâ urinâ, civitati ob incendium pe-
riclitanti opem ferret. Emissa igitur

urinâ æger convaluit. Joh. Bapt. Mon-
tan. consil. 23. scribit se vidisse quen-
dam, qui totam mundi superficiem
imaginabatur ex subtilissimo vitro
constare. & subditos esse serpentes;
se in lecto tanquam in insulâ, unde si
egrederetur, frangeret vitrum, & inci-
deret in serpentes, atq; ideo nolebat le-
cto egredi. Ineptas autem istas & simi-
les ratiocinationes, non inde esse cre-
dendum, quod intellectio, quemad-
modum sensuum cognitio, actio sit
organica. Quæcunq; enim corpo-
ris membra cognitioni destinata sunt,
non in solo homine, sed in omnibus
animalibus inveniuntur, ut manife-
stum sit ea non intellectui sed sensi-
bus, qui brutis quoq; competunt, di-
cata esse. Multa etiam, inquit Sper-
lingius Anthropol. lib. 1. cap. 3. qu. 3.
præstat intellectus sensibus impossibi-
lia. Excellentiâ objectorum non
offenditur: at sensile excellens lædit
sensum. Multitudine objectorum læ-
catur, ut quamvis multa cognoverit,

plura

plura tamen cognoscere gaudeat pér-
petuò. In seipsum reflectitur, & non
externas modò res, sed semetipsum
etiam intelligit, & quod intelligat se,
etiam intelligit. Angelos quoque, &
Deum lucem sensibus inaccessibilem
accedit. Quæ omnia organi ratio-
nem excludunt penitus. Alibi pro-
inde malorum horum origo quærer-
da est. Phantasiæ, ut causam ex-
emplarem, intellectui species repræ-
sentare sensiles, & Phantasmatæ quæ
intellectus tanquam objecta specula-
tur, exhibere, certum est. Quæ vero
benè à Phantasiâ repræsentantur, benè
ab intellectu judicantur. Et contrà, de
malè repræsentatis malum fit intellectus
judicium. Intellectus enim juxta
repræsentata procedit, speciemq; intel-
ligibilem Phantasmati similem effor-
mat. Hinc læsa Phantasia ratiocinatio-
nis depravatæ causa existit. Illa namq;
Phantasma offert melancholicum &
tenebricosum, quod spiritibus animali-
bus melancholicis, opacis, impuris, te-
nebris-

nebris & obscuris suam debet originem. Hi verò tribus potissimum de causis sunt, ut accuratè docet Sennertus Institut. Medic. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4 & Medic. pract. lib. 1. part. 2. c. 8. 1. Quando cerebri constitutio vicia est & melancholica. 2. Cum spiritus vitalis, qui Spiritus animalis materia est, in corde impurus gignitur. 3. Cum spiritus quidem animales ipsi sunt puri, ipsis vero materia aliquia aliena, impura & tenebrosa miscetur. Sed hæc apud modò laudatum Sennertum accuratiū tractata videantur. Nos hic subsistimus, pauca ista in præsens sufficere arbitrantes. Centurias autem Questionum Physicorum animo agitamus, quibus integrum evolvere scientiam Naturalem constitui possumus, si Deus vitam viresq; largitus fuerit, cui laus, honor & gloria in nunquam terminanda secula.

